

1771

CODICES

1772

*Tvorče myly z ziel sie tobie
Tak broznebo zavvedenie
Genz sie diege wteto dobie
Pro křestanske probrziesenie &c.*

Id est: *Creator misericors! poeniteat te tam horrendae seductionis, quae fit praesenti tempore propter Christianorum peccata &c. Scriptam liquet ex decursu post Husi, Hieronymique supplicium.*

XXXIV. fol. 239. p. 2. Opusculum de Arte loquendi, quod incipit: *Quoniam in dicendo multi errant, nec est aliquis, qui linguam suam ad plenum valeat domare &c.* Praecepta porro, quae dat Noster, illi versui adcommodat: *Quis, quid, ubi &c.*

XXXV. fol. 251. Versio bohemica *Psalmi C.* et *CXLII.* scripta a. 1552. et pertinens ad N. 25.

XXXVI. fol. 252. *Canones*, qui *Apostolorum* dicuntur. Thecae anteriori operosi *Codices* adscriptum est: *Ex dono Georgij Polenta.*

CCCCL.

138 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 269. f. per duas columnas scriptus et rubricis distinctus continet sequentia. I. Opusculum Polemicum hoc rubro: *Questio Magistralis de heresibus et hereticis ac de veritatibus catholicis, edita per venerabilem Magistrum Nicolaum de Dinkblspuchl Sacre Theologie professorem.* Incipit: *Circa illum textum prope finem septimi capituli*

ewangelij Mathei scilicet Attendite a falsis prophetis &c. Statuitur, quatenus sit veritas catholica, quae haeresis, quis haereticus, et rubro subscribitur: *Hec questio lecta est per predictum doctorem In Scolis dominorum Theologorum Vniuersitatis studij Wienn. Anno domini 1425.* Tractatus huius nostri meminere *Gesnerus* in *Bibl.* et *Fabricius.* Autor ab oppido *Sueviae* natali cognominatus jam 1405. Canonicus *Vienn.* et *Univerfitatis* Rector variis pro ea legationibus obitis et ornata paene per 40. annos *Professoris* sparta obiit 1433. Ejus Scripta praeter paulo ante memoratos referuntur in *P. I. Scriptt. Univ. Vien.* p. 92. et in *Bibl. Augustin. Append.* p. 986. a *Fel. Ossingero*, qui Vir veri studens *Nicolaum* a quibusdam perperam, ut *Henricum de Hassia*, *Augustinensibus* adfertum Clero seculari ultro remittit.

II. fol. 16. *Sequitur determinatio cuiusdam dubii facta super quibusdam propositionibus circa sacramentum eucharistie per facultatem Theologicam studij Wienn.* Propositae fuere, ut ex ingressu patet, hae Theses anno 1385. *Viennae in Conventu Ord. Praed.* 12. septembr. a *M. Johanne Munczinger*, et dein ad facultatis examen delatae. Sunt autem IV. sequentes: *Corpus Christi non est Deus.*

1773

P O L E M I C I.

1774

Deus. Christus non est compositus ex natura humana et diuina. Corpus Christi non est adorandum adoratione laetiae. Hostia consecrata non est Deus. Thesisibus his adhibita quadam distinctione scholastica mederi conantur Doctores. Initium: *Petrus apostolus iesu christi catholici gregis pastor &c.* Finis: *auferitatem determinandi reseruantes &c. Deo gratias.* In Cod. Sandorotheano tribuitur *Henrico de Hassia*, qui eo anno Academiae Cancellarius erat.

III. fol. 18. p. 2. *Sermo de Ascensione domini*, additur: *ascribitur Magistro Hainrico de Hassia.* Incipit: *Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in celum.* Scribitur actuum primo capitulo &c. Finit satis prolixus: *ut ubi ego sum et vos sitis Quod vobis concedat ipse qui vivit et regnat &c.*

IV. fol. 30. sine titulo *Sermo de Oratione cum adjuncta Expositione Orationis dominicae.* Initium est: *Si quid petieritis patrem &c. Beatus Chrysostomus super illo Math. 7. petite et dabitur vobis dicit &c.* Finis: *in celesti patria ad quam nos perducatur christus dominus in secula benedictus. Amen.* Scripsit in Orationem Dominicam *Henricus de Hassia*, sed ejus *Expositio* longe aliter incipit, quam praefens nostra, ut videre est apud *Oudinum T. III. col. 1260.* et *Bern. Pezium Dissert. isag. in T. I. Thes. Anecd. p. 77.* Nostram itaque damus *Nicolao de Dün-*

kelspühl, consentiente in initium *Trithemio n. 738.* Si quid petieritis &c. et edit. *Argentinenfi* infra citanda.

V. fol. 58. p. 2. *Sequuntur lecta a M. Pe. de pulka doctore sac. the.* Fragmentum est, hoc initio: *Queritur de obiectis caritatis &c. Petrus Tzsch* vel *Czech* ab oppido natali *Austriae* inferdictus de *Pulka* *Academiam Viennensem* illustravit usque ad an. 1426. De hujus Viri meritis et maxime legatione ad Concilium *Constantiense* adi, si lubet, *Scriptores Univ. Vienn. P. I. p. 95.*

VI. fol. 59. *Sequitur tractatus de preceptis caritatis et decalogi M. N. d. dinkl.* id est: *Nicolai de Dünkelspühl.* Incipit: *Scribitur M. XXII^o.* Quod cum quidam legis doctor interrogasset dominum &c. Interruptus est hic *Tractatus* in fine fol. 130. et continuatur a fol. 263. p. 2. usque ad fol. 268. quo desinit in haec verba: *Ad quam nos perducere dignetur sancta trinitas et indiuisa vnitas pater et filius &c.* Citatur hoc Opus a *Trithemio n. 738.* et in *Scriptt. Univ. Vienn. p. 92.* Extatque in *Sermone* diuisum in edit. *Opusculorum Nicolai a Jac. Wimpfelingio* procurata *Argentinae* apud *Joh. Schottum 1516. f.*

VII. fol. 131. *Tractatus de septem vicijs.* Initium: *Homo quidam fecit cenam magnam &c. Notandum ut dicit Magister 2. Sententiarum distinctione prima, deus a principio hominem ad hoc creauit*

1775

CODICES

1776

uit &c. Finis: *coheres naturalis eius filii domini nostri ihesu christi qui est in secula benedictus amen.*

VIII. fol. 186. *Traſtatus ſummarie valens ad confeſſionem facilius faciendam.* Initium: *Secundum Magiſtrum et doctores in 4to ſententiarum diſtinct. 16ta Tres ſunt partes vere penitentie &c.* Finis: *preces fundere neglexerit, et tantum de VII vicijſ capitalibus.* Ex his verbis concludo, hanc eſſe tantum Adpendicem ſeu partem practicam præcedentis Traſtatus, qui rurfus ab Autoribus ſuprac. *Nicolao de Dünkelpühl* tribuitur, et legitur in edit. ſuprac. fol. 110.

IX. fol. 193. p. 2. Incipit *Traſtatus de penitentie aſſumenda.* Initium: *Notandum quod ſecundum ſanctos principaliter ſunt ſex &c.* Verſatur maxime in meditatione poenarum inferni et mortis. Citatur in eo *Henricus de Haſſia.* Finis: *et ſic homo dampnaretur pro quibus ſe ſaluari putaret.* Non dubito *Nicolai* eſſe, licet teſtis nemo adſtipuletur.

X. fol. 198. *Quæſtio: Utrum licitum ſit in eccleſia pecuniam candelam aut aliud huiusmodi offerri.* Reſpondetur: non ſolum licere, ſed eſſe meritorium, poſſeque ſubinde in obligationem abire. Finis: *ſeculari iudicio ſunt relinquendi.* Ejusdem cum prioribus autoris eſſe putem.

XI. fol. 199. p. 2. *Traſtatus de tribus Partibus Poenitentie.* Incipit absque titulo: *Ecce nunc*

tempus acceptabile. 2º. Cor. 6º. Duo ſunt tempora hominis unum iuſtitie &c. Ad calcem: *A quo nos cuſtodiat qui ſine fine viuit et regnat Amen.* Eſt rurfus *Nicolai de Dünkelpühl*, extatque in edit. *Argentin.* fol. 68.

XII. fol. 235. *Traſtatus de octo Beatitudinibus.* Incipit pariter absque titulo: *In ewangelio quod legitur in feſto omnium Sanctorum et ſcribitur M. 5. enumerat dominus octo beatitudines &c.* Finit: *largiatur nobis omnipotens Dominus trinus et unus regnans in ſecula ſeculorum amen deo gratias.* Et rubro: *Expliciunt dicta ſuper octo beatitudinibus edita a Venerabili viro Magiſtro Nicolao de Dünkelpuchel Doctore Sacre Theologie profefſore.* In edit. *Argentin.* habetur fol. 92.

XIII. fol. 269. *Epistolae binæ Pariſiis ad aliquem Academiae Viennensis Doctorem datae de Controverſia inter Academiam Pariſinam et FF. Praedicatorum mota occasione propoſitionum Joannis de Montefono.* Prior hujus tenoris eſt: *Scripti vobis de contraverſia fratrum predicatorum et uniuerſitatis pariſienſis que condempnauit XIII propoſitiones, quas vnus fratrum predicatorum in veſperis ſuis dixit. et ſunt iſte que ſequuntur, quas ipſe aſſeruit eſſe veras et catholicas.* Non adſcribo, cum et in *Bulæi Hiſt. Univ. Pariſ.* T. IV. p. 620. et in *Baluzii Vitis Papp. Avenionenſ.* T. II. p. 991. et alibi extant. *Iſtas propoſitiones condempnauit Epiſcopus Pariſienſis* (Petrus

1777

P O L E M I C I.

1778

(Petrus d'Orgemont) aliquas tanquam hereticas, aliquas vero tanquam male sonantes in fide et piarum aurium offensivas. Propter quas propositiones et specialiter propter illas, que sunt de conceptione beate virginis ipsi predicatorum sunt resecati ab ipsa vniuersitate, ita quod ipsi predicatorum modo non predicant nec in gallico nec in latino, nec eciam faciunt actus scolasticos quoscunque, ymo ita odio habentur, quod ipsi merito possunt dicere illud ps. facti sumus obprobrium vicinis nostris &c. Et cum aliqui eorum transeunt per vicos parui et magni clamant contra ipsos Huet Huet &c. (Hus, Huy, Huefium, unde hodie Gallis Huer et Huée, clamor inconditus persequentium. Vide Ducangii Glossar.) Habet vniuersitas intentum suum et honorem contra ipsos, et ipsi predicatorum iam quasi sunt penitus destructi in francia, quia ubique heretici appellantur. Alia noua pro nunc non occurrunt. Sed rogo recommendetis me M. H. de Hassia (igitur non est ad hunc data epistola, ut in fronte rubro praenotatur) et M. H. de Oytta et M. Friderico Confessori ducis (fortassis dicto de Gars 1387. Academiae Reetori) cum quibus in domino semper feliciter valeatis. Scriptum parisiis XVII. die februarii. Deest annus, quem 1388. habeo. Subscriptum: *Vester in omnibus totus Georgius de Rain Magister in artibus canonicus ecclesie altissiodorensis. Epistola altera. Humili recommendatione premissa Magister mi et do-*

mine percarissime. Scripsi vobis de controuersia vniuersitatis parisiensis. et fratrum de ordine sancti Dominici, quomodo vniuersitas obtinuit suam causam contra dictos fratres et quod ille XIII. propositiones per quendam magistrum vocatum Johannem de Montefono de ordine eorum in scolis temere afferre, sunt per vniuersitatem et episcopum Parisiensem. condemnate. Ita quod modo dicti fratres de parisiis recesserunt et specialiter Magistri et alij graduati, et qui adhuc manent, sunt in maxima confusione, nec audent publice per vicos incedere, ymo omnes, qui alias de conceptione virginis predicauerunt, ipso initio (ipsi modo?) capiuntur et carceribus includuntur. Vnde rex francie potestate sua dedit auctoritatem capiendi XL. de dictis fratribus dicti ordinis, quos vniuersitas voluerit nominare. Similiter et papa (Clemens VII. Robertus de Gebennis) totidem. Et iam sunt plures capti et in carceribus detinentur. Inter quos vnus Magister in Theologia solemnior clericus totius ordinis (Clerc, scriba, Secretarius) vocatus Magister Job. Thome, qui in carceribus detinetur, in die Annunciacionis beate Virginis Marie (1388) plura, que hic inferius continentur, coram populo innumerabili in ecclesia beate v. Marie Parisiensi reuocauit dicens: Ego Magister Job. thome frater ordinis predicatorum predicauit ante XIII. annos publice coram populo, quod beata virgo Maria fuit concepta in

1779

C O D I C E S

1780

in peccato originali, et qui tenet contrarium, male credit et peccat mortaliter et est hereticus, et quod festum conceptionis Marie non est celebrandum. Ista ego reuoco tamquam falsa et male sonantia et erronea et scandalosa, presumptuosa mala et displicentia bonorum intellectuum et piarum aurium offensua. Item ante XIII annos ego transtuli Jeremiam de latino in gallicum de 11^o. capitulo usque ad 30, et impertinenter ibi tractavi unam questionem, scilicet. utrum virgo maria fuerit concepta in originali peccato, fateor me in hoc male fecisse et presumptuose egisse, quem librum submitto correctioni matris mee uniuersitatis Parisiensis. (In hoc libro, qui jam periit, ουνεργον, teste Quetifo, habuit F. Johannem Adae) Item predicavi auinionis publice quod uniuersitas Parisiensis alias reuocauerat, hoc erat contra doctrinam sancti Thome, et ipsa doctrina sancti Thome erat tota approbata per papam Urbanum quintum. Ista ego reuoco et dico, quod mater mea uniuersitas parisiensis nunquam errauit in fide nec contra bonos mores, nec unquam reuocauit, sed semper fuit luminare et defensatrix fidei. Item dixi coram rege, quod qui tenent virginem mariam conceptam sine originali peccato, illi faciunt contra doctrinam sancti Pauli. Istud ego reuoco tamquam falsum et presumptuose dictum. Item ego sustinui XIII. propositiones istius de Montesono et in hoc pessime fe-

ci, ymo dico, quod ipse est locutus et male, in quibus ipsum sustinebam. Item ego dabam sibi consilium et fauorem, et sedebam iuxta ipsum in consistorio adhibendo sibi, dico quod in hoc male feci. Item dico quod condemnatio istarum XIII propositionum fuit bene, iuste et sancte facta, tam per uniuersitatem, quam etiam per episcopum parisiensem, et iuro per deum, quod ammodo non adhibebo dictis quatuordecim propositionibus. Nec Magistro Johanni de montesono fauorem dabo nec consilium contra sententiam tam episcopi quam uniuersitatis, nec amplius defendam, ymo oppositum faciam. Ecce talia iste Magister hic iam ter reuocauit, et adhuc debet semel coram populo, et semel coram clero reuocare. Similiter uniuersitas parisiens. persecuta fuit confessorem Regis francie (Guilelmum de Vallon Ep. Ebrouicensem) super eisdem articulis et propositionibus, et oportebat ipsum coram rege cum magna confusione reuocare. Sic ergo fratres predicatorum hic parisiens nec legunt nec predicant, sermones enim quos diebus dominicis in conuentu eorum faciebant, in uniuersitate tam seculares quam religiosi diebus dominicis predicant secundum ordinem antiquitatis eorum, et Baccalarii faciunt collationes, et sic habent iam Baccalarii exercitium sermonum, quod prius habere non solebant ipsi. Propter controuersiam predictam statutum est in uniuersitate, quod si aliquando fratres

1781

P O L E M I C I.

1782

fratres predicatorum ad gratiam et gremium vniuersitatis redierint et recipiantur, ipsi fratres in omnibus actibus scolasticis, processionibus et alijs honoribus eant ultimi, qui alios in honore precedebant. Et sic ordo eorum hic in francia videtur esse quasi destructus, et timeo, quod temporibus nostris ad suum honorem numquam poterunt releuari. Hec sunt que pro nunc scribenda occurrunt. Si aliqua sunt noua, mihi rescribatis precipientes michi vobis in omnibus obedire parato. Literae hae, quas ad Nicolaum de Dünkelsplubl datas existimo, ad ea illustranda valent, quae de turbis his Caes. Egass. Bulaeus et Steph. Baluzius suprac. Nat. item Alexander Hist. Eccl. T. VII. c. 3. art. 23. Jac. Quetifus Scriptt. O. P. T. I. p. 691. Jac. B. Bossuetus in Def. Declarat. Cleri Gallic. P. II. p. 102. tradidere.

Fol. ult. Codicis nostri p. 2. superscriptum reperio: Hic liber est Cenobij sancte marie virginis alias Scotorum Wyenne.

CCCCLI.

173 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 22. f. inscriptus est: Ad Serenissimum Romanorum, Hungariae, Bohemiaeque &c. Regem &c. Ferdinandum. Preparatoria pro catholica unione regni Bohemiae. Autor est Job. Faber post Episcopus Vienn. et initium: Serenissime pientissime, ac clementissime Rex. Hanc piam Denis Codd. Theol. V. I. P. II.

sanctam, et per omnia salutiferam cogitationem &c. Opusculum hoc, sed imperfectum, Cod. DCCCCLXVII. adnotatum fuit; dignum autem omnino est, ut totum perlegatur.

II. fol. 23. Summarium Scripturarum Serenissimo Romanorum, Hungariae, et Bohemiae &c. Regi Ferdinando datarum, pro unione religionis in regno Bohemiae. Per Johan. Fab. Episcopum Viennensem. Anno salutis nostrae XXXVII. Sunt tituli XXIII. Scriptorum, quorum plura ex Actis Concilii Constant. excerpta sunt, alia in Codd. quos Adversaria Job. Fabri diximus, leguntur.

CCCCLII.

Codex chartaceus lat. germ. 96 Sec. XVI. Folior. 171. f. ex quibus plurima pura sunt, continet Job. Fabri Leutkirch. Suevi Episcopi Vindobon. et Ferdinando I. Imp. a Consiliis et confessionibus ✠. 1541. Adversaria ad coorta tunc temporis Religionis dissidia spectantia, partim idiographa, partim aliena manu descripta, cum latina, tum germanica. Operimento adglutinata est Donationis formula excusa, qua Codicem hunc post mortem suam ad D. Nicolai Collegium a se Adolescentium in literis educationi fundatum transfert, huicque similis chirographa manu Dionysii Sperlin in voluminis principio et fine extat. En rerum seriem.

O o

Fol.